



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CXXV. De affectu admirationis, quem unicus & pius crucifixi Jesu aspectus in nobis debet causare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO CXXV.

De affectu admirationis, quem unicus & pius Crucifixi Jesu aspectus in nobis debet causare.

*Domine, audi vi auditionem tuam, & timui. Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud. Habac. 3. 2.*

1.

Cum Prophetæ Habacuc à DEO quondam revelatum fuisset summum mysterium redemptionis & salutis nostræ humanæ per Christum venturum in cruce suo tempore adimplendum, observat Scriptura, quòd valde timuerit, & expaverit: Quid enim erat tam insolitum & pavendum quàm videre DEum & hominem Christum JESUM in crucis patibulo pendentem, & pro expiandis mortalium delictis tam horrenda, tam indigna patientem? O quàm magnum hoc erat pietatis divinæ Sacramentum, quod obstupescunt etiamnum Seraphini & Cherubini & creaturæ universæ! In quem finem notum illud carmen admirabundus composuit, & cecinit: *Domine, audi vi auditionem tuam & timui. Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud; Christus enim anno ætatis suæ 34. quæ vitæ humanæ media est, dum hæc censetur 70. annorum, pro nobis passus, crucifixus & mortuus est, ubi in medio latronum innocentissimus Redemptor in cruce medius pependit: Et cum sceleratis re-* Isa. 53. 12. *puratus est: Et ipse peccata multorum tulit. Et quod magis admirandum, illud est, quòd jam tunc temporis intervallo, hoc est: Sexcentis annis ante Verbum incarnatum, Sacratissimum nomen JESU clarissimè prænominaverit, quod inter reliquos Prophetas nemo alius fecit: Ego* Habac. 3. 18. *autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo.*

2. Et pergit idem Prophetæ: *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus.* Et quænam, dices, hæc erant cornua, de quibus vaticinatus est Prophetæ? Respondent SS. Patres, quos citat & sequitur Cornelius: Cornua Christi erant crux, clavi & SS. Vulnera ejus, quæ

Nnn 3

omnia



omnia ubi in spiritu Vates ille prævidit, exclamavit: *Timui*, timore nimirum reverentiali, vel ut alii legunt: *Expavi*, extra me factus sum præ stupore & summa admiratione, quia illius superabat ingenii capacitatem considerando hinc divinæ Personæ dignitatem, illinc supplicii & poenæ acerbiter & amoris magnitudinem. Fuerunt igitur illa crucis cornua Christi arma, quibus suos & nostros debellavit inimicos, quibus lytrum solvit pro nostris delictis, nobisque meruit gratiam & æternam salutem: *Ibi abscondita est fortitudo ejus*, hoc est in passione, cruce & 5. vulneribus pretiosissimi Redemptoris nostri abscondita fuit illius divinitas, majestas, potentia & immensâ fortitudo, dum ad ejus in cruce pendentis aspectum universa terra contremuit, faxa & rupes scissa sunt, sol, luna & sidera obscurata, velum templi scissum, sepulchra mortuorum aperta &c. Et quis, obsecro, ista considerans prodigia non in summam rapiatur admirationem? Disce proin hęc, anime mi! Cùm crucifixum JESUM aspicias, pium in te excitare admirationis affectum: Quis ille, quis tu, ille omnia, tu nihil, ille Dei Filius, tu filius peccati & gehennæ, & tamen pro te mori dignatus est, & mori in cruce! O coeli obtupefcite! *Hic maxime*, ait S. Bonaventura, *apparet illa charitas ejus, quæ corda nostra totaliter deberet concremare*. Sed pergo ulterius.

S. Bonavent.  
Medit. 74. de  
Pass. D.

Gen. 37. 3.

3. De Jacob Patriarcha observat Scriptura, quod præ aliis filiis suis Josephum dilexerit: *Israel autem diligebat Joseph super omnes filios, eo quod in senectute genuisset eum: secitque ei tunicam polymitam*, quâ tunicâ vestitum cùm ceteri fratres Joseph vidissent, invidiâ perciti ei necem comminati, & machinati sunt: *Et mutuo loquebantur: Ecce somniator venit, venite, occidamus eum*; Proinde cum in veterem miserunt cisternam, tunicam autem in sanguine occisi hœdi intinctam, & foedè dilaceratam ad senem patrem miserunt: *Vide, utrum tunica filii tui sit, an non? quam cùm cognovisset pater, ait: Tunica filii mei est, sera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph, scissisque vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore*. Anima Christiana! considera hic affectum admirationis, doloris & amoris pientissimi patris erga dilectum filium suum Joseph.

S. Bernhardus Mellistius ille Doctor per Jacob Patriarcham celestem Patrem intelligit, per tunicam autem polymitam Christi dilectissimi Filii ejus humanitatem Verbo unitam. O DEUM immortalem! quam foedè, quam indignè dilacerata, & proprio in sanguine intincta est illa tunica polymita (Humanitas Christi) ac præsertim in cruce! Vide Pater æterne! Utrum hæc tunica Filii tui sit, an non? Filii, inquam, tui, quem in senectute tua genuisti, hoc est ab æterno? Hanc tunicam mylticam quotidie DEO cum Divo Bernhardo præsentemus, cujus



cujus verba sunt: *Respice Domine sancte Pater de Sanctuario tuo, & de ex-* S. Bernh. ser.  
*calso caelorum habitaculo: Cognosce veram tunicam Filii tui Joseph: Hac sera pes-* de Pass, Dom.  
*sima devoravit eum, & conculcavit in furore suo vestimentum ejus, omnem deco-*  
*rem ejus reliquit cruoris inquinavit; & ecce quinque scissuras lamentabiles in ea*  
*reliquit. Hoc est Domine vestimentum, quod in manu Aegyptiaca meretricis inno-*  
*tens puer tuus dereliquit &c.*

Observa hic pro reflexione morali affectum admirationis, tum  
in Jacob, tum in S. Bernhardo. Et si Jacob visâ illa cruentâ ac dilace-  
ratâ filii sui tunicâ in tantum obstupuit, & ingemuit, ut præ animi do-  
lore, quem conceperat, penè confici videretur: *Seisisque vestibus indutus*  
*est cilicio, lugens filium suum multo tempore; Quid nobis faciendum, si non*  
*tunicam Christi, sed ipsum Crucifixum Dominum nostrum tot cruen-*  
*tis confectum plagis pio mentis oculo intuemur? Nihil sic valet, ait B. B. Dam. serm;*  
Petrus Damianus, *ad extirpandas voluptatum radices, quàm recordatio Vulne-* 59, fol. 290.  
*rum Christi, qui stetit ante Judicem, qui flagellatus est, consputus, qui coronatus*  
*spinis, qui colaphis casus, qui suspensus in ligno, qui mortuus in cruce. Hæc con-*  
*sidera, & non peccabis.*

4. Tres illi principes & amici Job, Eliphaz, Baldad & Sophar, ubi  
Jobum amicum suum viderunt ulcere pessimò à planta pedis usque ad  
verticem capitis à dæmone percussum, extra civitatem suam ejectum,  
& à folio ac palatio suo regali eliminatum in sterquilinio sedentem,  
tantorum malorum magnitudine in stuporem rapti, & percussi, toto  
septiduo illum affari non ausi sunt: *Cùmque elevassent procul oculos suos, non* Job, 2, 12.  
*cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, seisisque vestibus, sparserunt pulve-*  
*rem super caput suum Quid? si vidissent Jesum Dei Filium extra civita-*  
*tem suam ejectum, vulneribus plenum, in Calvario monte infami cru-*  
*cis patibulo ferreis clavis affixum, & ab omnibus derelictum, quid, ob-*  
*fecero, dixissent tres illi principes & viri illustres, quos S. Chrysostomus*  
*& S. Gregorius Magnus viros sanctos nominarunt?*

Imitare & tu, anime mi, horum virorum exemplum, ubi Cruci-  
fixum Dominum tuum intueris tot vulneribus saucium, manus & pe-  
des illius clavis perforatos, caput spinis redimitum, totum denique  
corpus flagellis laniatum; admirare comprimis illius patientiam, con-  
dole doloribus, illacryma passionibus ejus, imò peccatis tuis, quæ illi  
necem intulerunt: *Agnosce, ait S. Bernhardus, quàm gravia sint vulnera,*  
*pro quibus necesse fuit Christum vulnerari.*

5. Hunc affectum admirationis comprimis exercebat Mater amō-  
ris & doloris stans juxta crucem, contemplando hiantia ac cruenta  
Filii sui crucifixi Vulnera, de qua Cajetanus ait: *Vacabat contemplationi*  
*admirativa, conferendo summa prius visa cum infimis, gloriam divinitatis cum*  
*pœna*



*pœna humanitatis &c.* Ah quoties in illo admirationis affectu suspirabat in cœlum:

*Quis satis hoc capiat, pro me per Vulnera mille,  
Et potuisse Deum, nec dubitasse mori?*

Hoc fecerunt & alii amici, cruci Christi fideliter adstantes, qui cum dolorosissima Matre profuso lacrymarum imbri rigabant crucem, uti cum Magdalena fecit discipulus, quem diligebat JESUS, & alii plures cum centurione.

Juvat hic audire quisnam fuerit ille Centurio, de quo Scriptura: *Math. 27. 54. Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes JESUM, viso terra motu & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè Filius Dei erat iste.* Observa: Audierat jam antea ille Centurio, JESUM à perfidis Judæis, & ex illorum instantia etiam à Romano Judice Pilato hanc ob causam ad crucem esse condemnatum, quia se Regem Judæorum, hoc est Messiam & Filium Dei dixisset: Nunc, ubi vidit quòd per tot prodigia in morte Christi evidenter illius demonstraretur divinitas, & quòd vera prædixisset, agnovit eum, ut verum Dei Filium, unde admirabundus, eum in cruce patientem & morientem considerans, exclamavit: *Verè Filius Dei erat iste;* Ob quam publicam confessionem meruit martyrii obtinere palmam, dum relicta militiâ in Cappadociam secedens, & Christum prædicans à Judæis interfectus, gloriosus Martyr occubuit.

6. Huic Centurioni Martyri, cujus nomen erat C. Oppius ex Hispania oriundus, adjungo V. P. Consalvum Silveria Lusitanum S. J. virum & doctrinâ & sanctitate vitæ celeberrimum, dum sæpius in oratione Dei è terra in sublime ferri visus est; hic, inquam, in quocunque habitabat cubiculo, semper in quatuor parietis partibus crucem affigi voluit, ut jugem Christi JESU crucifixi memoriâ ante se haberet; Et quia à Deo & crucifixo Amore suo sæpius martyrii Laureolam petiit, hanc in extremis orbis partibus, ubi prius plurimos Barbaros ad Christi fidem convertit, ipsûmque Regem Monomotapæ cum matre & trecentis proceribus sacris baptismi undis lustrasset, impetravit. Qui tandem spiritu prophetico, quo præditus erat, adventum carnificum præsentens, in loco cruenti sui certaminis duos cereos accendit, & in medio illorum devotam crucifixi Redemptoris nostri effigiem collocavit, & dum flexo genu, ac manibus in formam crucis ad pectus compositis, agonem suum Deo commendaret, à barbaris Gentilibus captus, ligatus, funibus tractus, & à Mucrome strangulatus est. Ecce quàm verum sit, quod S. Gregorius edixit: *Nil aliud grave est, quod non aequanimiter tolleretur, si Christi Passio ad memoriâ revocetur.*

S. Gregor.  
in Epist.

CON-